Chełmensis Collegii Scholar. Piar. Argo Czarnecciana.

ARGO
CZARNIECCIANA
Ad Illustrē Hymenæi Facib9 POTOCCIORVM Pharum
VELIFICANS,
Atq; dum
ILLUSTRISSIMA DOMINA
D. SOPHIA
CZARNIECKA
Illmi Dni D. STEPHANI de Czarnca CZARNIECKI,
Notarij Campestris Regni, Lipnicen: Kaniovien: &c. Gubernatoris
LECTISSIMA FILIA
ILLVSTRISSIMO DOMINO
D. MICHAELI
IN POTOK de PODHAYCE
POTOCKI
Palatinidæ Cracoviensi, Capitaneo Krasnostaviensi,
S. R. M. Rothmagistro desponsaretur.
A devinctissimo Magnis Illustrissimorum Neosponsorum Nominibus
Collegio Chełmensi Scholarum Piarum
Panegyrico opere
INSTRUCTA
Anno Christi Ecclesiæ Nauim Gubernantis. 1689.

VARSAVIÆ, Typis Collegij Scholarum Piarum.

In Gentilitia Arma
Illr^mæ Domûs CZARNIECCIANÆ.



NAVIS Sanguineos ſulcat ſine remige fluctus,
Non tamen æquoreis, mergitur illa vadis.
Tuta procelloſas neq; nunc timet ampliùs undas,
Cùm illi POTOCIA de CRUCE malus erit.

PRÆFATIO

AD ILLUSTRISS: DOMINAM NEOSPONSAM.

EXilis Eloquẽtiæ lembus ad accẽsos Nuptialis facis Splẽdores, eluctantẽ Tuam cõcomitatur Liburnicam Illustrissima Domina NEOSPONSA. Fõtes nonnisi, & minorib⁹ pervia celocibus vada enavigare edoct⁹, tutiùs vasto se Familiæ Tuæ Oceano credere nõ potuit, quàm ubi velificãti, adjũgitur Classi. Pretiosã gemmarũ supellectilẽ, neq; è Neptuni erarijs conquisitos evehit uniones; quia ad cõnubialia fœdera, natã è rore cœlestis gratiæ in Vobis

Illuſtriſſimi DOMINI veneratur animorũ unionẽ immenſo affe-ctuũ appretiatã valore. Non patietur repulſam hic, qui ſe æterno Illuſtriſſimæ Domui Tuæ mãcipavit obſequio, militans laudib⁹ Tuis Scholarũ Piarũ phaſelus, ſi & grandioribus Roſtratis nihil officiat ſcaphas ſequi præeuntes. Cum ergò Divini Pneumatis aura ad ſanctiores Aras, ceu ad beatas Inſulas Tuam propellit Onerariã; in exoptato votorũ portu feſtivũ illi accinimus celeuſma.

Sic Te Diva potens Cypri,
 Sic Fratres Helenæ, lucida ſydera,
Ventorumq́; regat Pater,
NAVIS, quæ Tibi creditam
 Debes CZARNIECIAM POTOCIÆ Pharo
Reddas incolumem, precor.

Obligatiſſimum
NOMINI TVO
Coll: Chełmenſe Scholarum Piarum.

ARGO VELIFICANTIS NAVIGATIO I.

Provehimur portu.

EXundat in candidum paginæ æquor literarum Nigropontus,
Sarmaticæ Cleopatræ placidos ſubſternens gurgites,
Sub purpureis Illuſtriſſimi ſanguinis carbaſis,
ad ſuum eluctanti Antonium.
Enodaturus igitùr perplexã ſapientis difficultatẽ,
Viam Navis CZARNIECCIANÆ in hoc mari quæres calame;
ipſe Tibi remus, ipſe remex, & navigium.
Temeraria equidem generoſitas eſt eò conniti,
Vbi hæc ARGO decurrit, & aureas ſecum convoluit arenas!
Contremiſcunt ludibunda paginarum apluſtra ad blandas Cythereæ Etheſias:
Quid, ſi Martio Auſtrorum, aut Aquilonum percellerentur flatu?
Audendum tamen!
Non enim evanidum citiùs perſcrutaberis iter,
Niſi in literarios margines, univerſum effundas Oceanum.
Vel confortare tantiſper!
ac pro ferrea Palladis Chełmenſis haſta, ad ferreos, quia infractos, Te exerce Heroes,
ad æneos tandem obvertendus citra difficultatem Æneas;
Qvi Romano Tyberi, & Tyrrheno æquore ſuâ jactati onerariâ,
Fortiores triumphant in portu Lechico.
Ergò ſcriptoria penna tot remorum addenſare benè exoptat ordines,
quot lineas exili incidit chartæ:
nõ rectiùs CZARNIECCIANAM NAVIM ſe inveſtigaturã prefeſſa,
quàm cùm atrâ ſepiâ inſignitis navigat tramitibus.

Et jam provehimur portu!
Tripodum miniſtri Tritones, feſtiva cient modulamina,
accolæ Oceani huius Syringes in Mercurij mutãtur calamos,
Vbi NymPharum pulcherrima Deiopeia,
Illuſtriſſima Domina SOPHIA CZARNIECKA
Stabili jungitur conjugio.
Nihilominùs inter votiva ad Aras anathemata,
Inter virtutis, & fortitudinis trophæa,
Permittes Illuſtriſſima Dña NEOSPONSA è laudabili Romanorum more
triumphantem toties Roſtratam Tuã panegyricis appendi columnis:
Decumenos diſcriminum perpeſſa æſtus,
æqvum ſanè ut victrici redimiatur corona.
Sufficit ad coronamentum NAVIS Tuæ Illuſtr: Domina NEOSPONSA,
Sumptuoſo opere extructa D. FLORIANO Cracoviæ Baſilica.
Inſerendus & ille Flos Nuptiali Coronæ Tuæ,
per primum in Czarnca Heredem, Regum Coronariæ vrbi illatus.
Hortus ille concluſus ad ſuburbana Craci mænia ſitus,
è Martyrum roſeto tranſplantando Flori peropportunus:
quid mirum, ſi in eos Poloniæ adolevit fructus?
cùm ſterilem eius glebã aureo CZARNIECCIVS imbre fæcundavit.
Inter glaciales ſeptentrionis pruinas egit radices delicatum germen,
quia ab injurijs àëris baſilico circumſeptum opere.
Ipſe tunc D. Martyr CZARNIECCIORVM præſcius humanitatis,
Vltro manum è tumba protendebat, ut in gratuitam adventans ſedem,
Suæ manus oſculo dignaretur munificum Benefactorem.
Prodigam quis non miretur hoſpitalitatem?
dum ut hoſpitem hunc glorioſè exciperet,
Baſilicum providit è dilapidatis bonis ſuis hoſpitium.
Ita prorſ9 quem Orbis Polon9 veneratur Patronum CZARNIECCII habent inquilinum,
Coæva divis CZARNIECCIORVM Familia, quidni inter Divos annumeretur?
tam firmæ nimirùm innixa baſi, non eſt cur temporum vereatur ruinam;
æternitati ſtabilita.

NAVIGATIO II.

Qvâ Illr. MATHIAS, HIERONYMVS, FLORIANVS, STANISLAVS, IOANNES &c. CZARNIECCII feliciter deferuntur

Etiam

ETiam ARGO CZARNIECCIANA fortunatiores tulit Iaſones,
qvi aureo Patriam ditârunt vellere.
Feliciores hìc Antonij, quia ad infamem vitæ nunquam impegere ſcopulũ.
Quibꝰ vela, nõ pudor, ſed vel Senatorius murex, vel hoſtilis cruor purpuravit.
Nõ MATHIÆ ſolùm Corvino triumphales in Hungaria pullulabant laureæ,
aut STEPHANO in honorum Capitolia aggerebantur lapides,
Cùm HIERONYMVS & MATHIAS CZARNIECCII inibi
arces gloriæ ſibi fabricabant.
In Danubios & Tibiſcos Gentilitia invecti ARGO,
fortunatam decurrebant Naumachiam,
ut non mirum ſit
Solius Conſtantinopoleos excidium tractas per montes acceleraſſe naves,
Si per inhoſpitalia Carpathi juga CZARNIECCIORVM circumvecta triumphabat.
Floridas in FLORIANO nacta inſulas,
pleniſſimis velis ad auream famæ ferebatur Cherſoneſum,
niſi flagrantibus ad Kloſzynum Bellonæ facibus eluſa,
dum bonæ ſpei putavit promontorium, Cubæam inveniſſet:
ubi mortalibus atrox Libitina accenſis funalibus,
in ſcyllas & pernicioſas vitæ eum induxit Symplegadas.
Nullibì Polonæ generoſiùs velificatum gloriæ,
Quàm ubi Lubomirſcianæ Srzeniavæ ſuam STANISLAVS commiſit NAVIM:
Bellona hos duntaxàt Heroas intimiori iunxerat foedere.
Qvæ nunc Sarmatia habeat omina!
Cùm Oceanum Lubomirſciani ſanguinis, CZARNIECCIA influit ARGO?
Sanguineo tunc vndabant diluvio cruenta Moſcuæ littora,
Cruore hoſtili, & truncis legionum artubus decolores rubebant ripæ:
Erythræum crediſſes, ex qvo poſt excuſſam noctis caliginem
Boſphorus ille STANISLAI rubeſcens purpurâ,
Sarmatico orbi triumphalem nuntiavit diem.
Diffiſus proceloſis mundi æſtibus IOANNES,
NAVIM ſuam ad tranquillum Religioſæ quietis ſubduxit portum:
expenſa in capturam ulterioris fortunæ retia reliquit, homines olim capturus:
à viatore Domino in comitem evocatus, intimus eius ſocius eſt effectus.
Hic demùm, qvò profundiùs in laudes Majorum Tuorum provehitur penna
ILLVSTRISSIMA NEOSPONSA!
Immenſam meritorum non valens attingere altitudinem,
Extimam nonniſi allambit ſuperficiem;
Fundũ ipſũ eruditioribus Hiſtoricorũ ingenijs relinqvens metiendũ.
Vivit vel poſthumâ ætate CHRISTOPHORVS Zywecenſis Gubernator, Proavus Tuus
ILLVSTRISSIMA NEOSPONSA

 Sigis-

Sigismundi hic tertij Aulicus,
è regali manipulo in NAVIM suam opimam favorũ congessit segetẽ,
Non nativo solùm orbi, verùm vltramarino copioso censu providẽdã:
ut extra Ægyptum, alterum Ioseph Patria suspiceret,
in Principis pectore tam intimè hospitantem.
Tam coronatæ, quàm clypeatæ individuus adhæsit Majestati,
auream pariter, ac lauream coronam pari cultu veneratur.
Edecumatus Heros, sæculis suam terminavit generositatem;
denario Filiorum numero augens Rempublicam,
ad metienda æternitatis confinia nobili sanè usus est decempedâ:
vel etiam cum Filijs, Gentilitiam NAVIM æternitati impleturus.

NAVIGATIO III.

E decemvirali Illustr. Fratrum CZARNIECCIORVM numero felicior.

INvidebitis, dum videbitis, qvid agitur mortales!
Extra Tyberiadis mare, sanguinis æquor decurens PETRVS,
Lubricam nimiùm Deam ferreo iam, nõ aureo, prehendit hamo,
Proreta Gentilitiæ suæ NAVIS, eò quòd in ordine Fratrum primus;
Vt in hoc etiam decemvirali Fratrum Collegio primatum PETRO deberi,
& sanguinis, & dignitatis respectus fateatur.
Versatili ADALBERTVS remo insignis,
Secundâ navigatione ad Chęcinensem adnavigat Notariatum:
Sarmaticus planè Iupiter, olorinâ candicans pennâ,
fæcundo capite armatas Patriæ parturiebat Pallades,
quibus, non eversâ pulvis inscribitur hastâ;
Sed Chęcinensibus inarata marmoribus æternæ famæ monumenta.
Tam vaginam, quàm paginam pro libertatis strinxit amore:
In Castro, Castra quoq; coluit.
Violentum Regni præsidium ratus bella:
Firmiùs libellis legum propugnandum interdùm censuit,
quibus & togata, & sagata Reipublicæ constant tempora.
Parvum quippè imperijs firmamentum accedit á manibus,
Nisi in suffragium, referta consilio, veniant capita.
Tutior congregatis Aqvilis STANISLAVS, Polonas Imperialibus associans,
Cum 500 Equitibus Olympia gloriæ aut decurrit, aut instauravit.
Com-

Compendioso Orbis Poloni non contentus circo,
Nisi virtutē suam remotis Romani Imperij terminaret limitibus.
Novit hic magnanimæ virtutis suæ appretiare mercimonia,
quæ à peregrino orbe è sua NAVI Imperialibus exposuit littoribus.
Cæsari, & Regi militans, ex utroq; se probavit Cæsarem:
Patriæ etiam militavit, dum extra Patriam.
Redundat in Gentis honorē, parta in extraneo solo victoria:
dum Scipio in Hispania, Iulius in Gallia, Augustus in Dalmatia præliatur, Roma triūphavit.
Præliatura contra Hæreseos monstra Ecclesia,
Suæ NAVI, CZARNIECCIANAM quoq; in Thoma adiunxit,
& militans & triumphans habenda.
Victrix demùm Rostrata hæc,
in honorarium Cracoviæ ac Vratislaviæ sanctiorem evecta portum,
Facundiori Tullio pro rostris stetit;
Vt, nè Romanus quidē disertior illo, cùm geminā insedisset cathedrā.
Spirans minarum & cædis PAVLVS,
impiger in Gymnasio Martis discipulus,
emerito virtutis bellicæ calculo creatus Rothmagister.
Quaternas annorum trieterides integritati Patriæ operatus
exteris demùm Martiæ fortitudinis suæ communicavit robur:
ostenditq; severo terrarum, pelagiq; Deos sub sydere nasci.
Coacervavit in Illustres Ceras suas, mellitos liquores, ex Melitæ Hymetto.
Vberior hic nunquam aliàs visus, nisi dum permisto Pauli lacte abundantiùs defluxeret.
Sub nativo natatilis illius insulæ CRVCIS signo, mellitam invenit Melitam.
Portentum planè sæculis reliquit,
in liquido elemento, Eques cum Equitibus, prælijs decertans,
Extra Damascum, etiam extra lapsum!
Terram nihilominùs & hic reperit Damascenam,
cùm illam suo purpuravit sanguine:
simul támen rubens sibi efficiens Cœlum, serenitatem perpetuam experturus.

NAVIGATIO IV.

Illustr. STEPHANI CZARNIECKI, remis velisq; rectefactorum instructa.

QVid hæres anime
Ad STEPHANI lapidem?
an ad Scyllam ingeniorum veteris impingere?

Reverere potiùs · Gemmam cernis CZARNIECCIÆ Domûs,
Vastioribꝰ inundetur oceanis, nō exilibus eloqventiæ fluentis, expedit:
Viliora enimuerò conchylia in omni ripa passim jacentia deprehendes,
ejusmodi vniones abditis Neptunus recondit sacrarijs.
In Erythræo Illustris sanguinis enatus;
purpuream iuventutem hostili tabo reddidit ornatiorem.
Inter ipsa bellorum rudimenta, victrices meruit rudes.
Levioris primò armaturæ Antesignanus;
sensím ad majora in exercitu munia à Marte alliciebatur;
donèc Sarmaticus Atlas, Illustrissimus Cracoviensis Castellanus,
operosam cataphractæ Legionis suæ Provinciam,
suffraganeo torosi Alcidis imposuisset humero.
Ita à minimo, crevit ad summum.
Gradivi nimirùm honores, gradibus nonnisi petuntur.
Egregius sanè censendus Dux, si vilia etiam gregariorum callet officia.
Scitus Mæandratorum reflexuum extitit Palinurus,
Cùm. *Fregit Hyperboreas remis properantibus vndas.*
In sylvescentes Moscuæ paludes cum Kazanovio delatus,
Redivivus Sarmatiæ Curtius,
Nitrato fumantes puluere lacus explorando,
in conterminum propè Tartaro Phlegetontem pertigit,
seu pallidis consanguineas manibus Flavas Aqvas;
è qvarum suphureo vapore minimè vivida eius emaciata virtus.
Tunc etiam cum abindè superas evadere ad auras arduum videret,
Theseum se, & Herculem probavit.
Cosacorum 6000 in regimen accipit:
Sed dum hæ cyfræ numerum aggregare debuerunt,
extra rectum fidelitatis Arithmeticæ positæ ordinem, nihil valuêre:
Impudenter ex Martis area decidentes, vel potiùs decedentes.
Vnus tantùm significativus Polonorum mansit numerus, Ducenti supra mille:
duodenos planè Herculis adæquaverunt labores,
& in hoc confuso ordine, in qnantitate generosi animi,
decrescere nescij.
Strenuè contra Tartarorum, & Cosacorum colluviem obluctantur,
Non tam armis, quàm multitudine oppressi, non vincuntur,
sed vincendo fatigantur.
Ostendit se nihilominùs constantē Navarchum CZARNIECCIVS,
taliter etiam fluctuantia non deservit vela:

obru-

Obruit illum mare clavum tenentem, sed gubernacula fluctus non eripuit.
Ex disiecta classe - *Apparent rari nantes in gurgite vasto.*
Hic clavi, transennæ alibi, cæsisq; phaseli
Remigibus per summa natant, hic linea ruptis
Funibus insternunt fluvios, retinacula spernit
Anchora, & antennis jactantur suppara fractis.
Defessam tantisper tempestatibus NAVIM, ad portum subducit.
Enimuerò, perdit Patriam, qui sine fructu in acie perit.
Velle superare maxima, cùm superari nequeunt, amens est prudentia.
Vnus universos quia cædere non potest, non ingloriè cedit universis.
Non derogat generositati Elephantis, si infesto culicum se subtrahit gregi:
numero enim non virtute pugnant.
Laudabiliter Codri more & morte Dux moritur;
si indè universæ Patriæ enascatur integritas.
Gloriosa Phænicis busta; dum natales vitæ cunas præsagiunt.
Aliàs, si ad svasum incantatricis famæ, quispiam Pelias
spe vitæ, non rediturum in membra, profundit sanguinem,
nimiæ præfidentiæ, sera eum subit pænitudo.
Desperabundi sanè est, in tela & enses cæco irruere impetu:
toto Oceano desperationis illa non eluetur macula;
licèt sanguineo fortitudinis fonte, baptizetur nomine.
Aggeruntur nihilominùs foedæ Cosacorum nubes,
Magno cruoris imbre in Arcem depluunt,
sæva tempestas validos aggeres, & objecta rumpit repagula:
Expilant CZARNIECIAM NAVIM infames Pyratæ,
iam planè ad marginem fatorum pertractam.
Pro portu, impavidus portā mortis, & vestibulum ingressus CZARNIECIVS,
lucis tamen publicæ memorabile effecit theatrum:
Qvid mirum? si illud pupilla Poloniæ irradiavit!
Toto anni decursu squalorem carceris non patitur, sed fortiter sustinet,
Quem Iubileum, incuria aliàs pietatis coluit barbaries?
eò, quod CZARNIECCII arma, à Martiali feriarent opere:
Derivavit adæquatam à Romanis virtutem, in suam Domum,
probando Orbi; agere, & pati, CZARNIECCIORVM esse.
Sensit Serenissimus IOANNES pretiosum sibi è corona excidisse adamantem,
adeoq; Regium Stephanoma in STEPHANO perijsse.
Igitùr, ut in turbido absorptam illam piscaretur gemmam;
post belli tempestates, tranquilla pacis inducit Halcionia:
æquissimo sanè fœdere, efferato septemtrioni unionē refert, ut illā reciperet.
Effudit demùm in margines Patriæ ingentē Balticū mare tempestatē:

Exspatiata ruunt per apertos flumina campos,
Cumq; satis arbusta simul, pecudesq; virosq;,
Tectaq; cum suis rapiunt penetralia sacris.
Sanctior Orbis Poloni Nòémus CZANIECIVS
taliter fluctuanti Patriæ, suam submisit Onerariam;
quâ pereuntis fortunæ nostræ reliquias, novo restituit mundo.
Iam prope Areopagum Regni Petricoviam accesserat illa iniquitas,
perditum nimirùm seipsam ivit, magnam veneni sui partem bibitura.
Hic tandèm extra Tribunal, Præsidem Iudiciorũ, & Themidis gladiũ invenit:
ac instantaneo Martis Sarmatici decreto, in flagranti deprehensa,
capitali supplicio est affecta.
Bono sanè omine!
excubantes 500 pro salute Castrorum suorum vigilias, letali sopivit somno,
faciliùs totum deindè belli corpus invasurus.
In hoc tantúm derogatum virtuti suæ fuit;
quod, de tot, ne nuntius quidem superfuerit, qui eam diffamâsset.
Ex inspectis in ortu syderibus tenorem vitæ cuiusq; præcinunt coniectores:
ex prima fortuna, reliqvum militiæ cursum observavit Patria.
Nimirùm cùm serenus solis exortus, sudum ominatur meridiem,
Regni demùm Metropolis à Sveco petitur,
Vt suo coronarum ternioni, qvartam Poloniæ adjungeret.
Non reperit tamen patula in Polonia Capitolia,
Nisi illa, quæ è suorum recisis erigebantur capitibus.
Obfirmata Civium constantia Ductore CZARNIECCIO, portas claudit.
Ille ampliorem sibi per prostratos machinis muros facere voluit aditum:
infamis scilicet prædo, sive vrbem furari decrevit,
Sive eâ indignus suscipi viâ, quâ legitimi Poloniarum Monarchæ ingrederentur;
Subdolâ vafrum ingenium armat humanitate.
Importunus hospes, stationem sibi pertinaciter extorquet,
pulsat globis mænia, ut sibi aperiatur.
Indemnitati Civium consulturus,
condescendit CZARNIECCIVS, non animo fractus, non viribus,
admittere hostem passus, ut castigatum eijceret.
Famelicus posthac Erisichton, Regum altricem, aggreditur Varsaviam:
CZARNECIVS nonnihil contra sacrum deliquit codicem,
panem petenti, STEPHANI porrigit lapidem.
Stupuit Vrbs Sarmatica, Romanã in se commigrare magnificentiã.
Regiam nimirùm ad se viam, non signatorij lapides,
sed gelido obrigescentia frigore cadavera distinguebant,
Mil-

Millibus, milliaria notabantur:
Vt, si ignobiles illæ animæ sepulchrali dignæ fuissent tegi marmore,
Viam ex se præbuissent lapideam.
Eò sanè cultu sedem Regum Poloniæ adorari conveniebat,
quam adoriri venerant.
Tot iam monstra illa Hæreseos universam oppleverant Sarmatiam,
ut planè feracem eorundem credidisses Africam,
Et quò efficaciùs ad debellanda confirmaretur STEPHANVS,
repetito iterùm mergi debuit baptismo.
Celerini abindè sortitus nomen,
paris cum fulgetro celeritatis, in oriente illucescens,
fulgore armorum terrebat occidentem.
Ita, cùm emollitum hostili sanguine induravit ferrum,
evasit ex vadis vistulæ in arenam:
& certè germinavit ei palmares adoreas, largo humectata imbre.
Ex populari aura, vitream alijs fortunã conflare solenne est,
CZARNIECIVS ubi trilices in eius capturam extendit loricas,
Magneticam in vistuleis prehendit vorticibus.
Nec mirum, si magnanimo ausu primus vistulæ undis suã commisit NAVIM;
quia illi robur, & æs triplex circa pectus erat.
Mõstra illa Baltici maris, plùs nimio se Sarmaticis intulêre fluminib9
ferreis CZARNIECII prehendenda hamis,
Sat fructuosam & ad Lovicium exercuit piscaturam
opiparam ex 400 & ampliùs Plutoni instaurans cænam.
Aperuit iteratò pectus suum Lovicensis Pelicanus,
in vim gratitudinis cor CZARNIECCIO offerendo.
Dignus mehercule erat eo honorario,
qui è visceribus Archiepiscopalis sedis,
tam nocivas tinnitu ferri pepulit Stymphalidas.
Damno suo primatialis Arcis propugnacula vilis cornicum grex involavit,
ruderibus ipsis, ni timor addidisset alas, opprimendus.
Nimirùm nullus satis firmus tutandæ impietati murus est;
inter arcium marmora, Mausolea invenit.
Naturâ suâ arrogans est, nec vili amat contegi cespite,
nisi ruinis mænium tumuletur.
Portum putabant Opocznam, Maleam habuerunt.
Capitolia gloriæ inibi videbantur sibi erigere,
sed in dura obriguerunt saxa 1500,

 Dum

Dum in lapidem offensionis STEPHANI impegerunt.
Petram scandali sibi in ninere poterant, cùm turpiter deficerent.
Enatum Tremesznæ ethymon an ab hostibus, an à Civibus sit? dubium!
crediderim tamen, cùm & ibi ad suam tremebant cladem,
contractâ ex gelido timore febri,
2000 oppressi mortalitatis algore,
repetitam eidem indidisse nomenclaturam.
Latebras igitùr circa Premisliam, & abditos recessus Leo Sveticus qværere constituit,
per plana Poloniæ ampliùs timens aperto divagari calle.
Ad submontanas secedit partes, opportuna sibi quæsiturus spelea.
Nemæam quidem reperit sylvam, sed & Polonum in ea Alcidem.
Sic, cùm innatæ iã puduit eum arrogãtiæ, tã inglorie ex acie decedere,
Capram simulat, qui Leo fuerat.
Nihilominùs, & sub ementito schemate, ad prædam notabatur;
accisis ad Kozienice ultimis viribus, ex 300 ne nuntio quidem relicto.
Ita omnem planè memoriam hostium abolevit CZARNIECCIVS,
vel hoc ipso æternâ dignus memoriâ.
Sed Herculem non unus Nemæus probavit Leo:
in unica etiam edomanda hydra, novi renascebantur labores.
CZARNIECIO gloriosus unius belli fructus, sementis erat alterius.
Ferax quippè bellorum Martiale solum,
agrestium more herbarum svâpte naturâ eius propagantur plantagines:
in uno vix adolescunt pacis oleæ, aliud in nova pullulat herba.
Infusa Lachowecensibus campis copiosa Moschorum seges,
Messorem reperit CZARNIECIVM,
ut extra somnium, 40000 procidentes militum manipuli,
Regium in manu CZARNIECII rescissis cogerentur adorare cervicibus.
Bicipitibus Moschoviæ altior hic ibat Aqvilis
deplumatas Regijs adsternens pedibus.
Felicior Saturnus niveis oppida Sarmatiæ revisens bigis,
etiam Varsaviam ad Comitia cicuratis Moschi provehebatur Draconibus.
Obmutuerunt intercluso spiritu militares Tubæ,
gemebant sub pondere armorum militares Quadrigæ,
quibus fabricandis totus insudabat septentrio.
Triumphos suos enarraturo gestiens lætitiâ Respublica, vocẽ præclusit,
clades suas deplorantibus Moschoviæ Ducibus intenta,
è quibus mensa est CZARNIECIANÆ Victoriæ magnitudinem.
Mirabile visu!
Illa cohors nostris minitans incendia portis,

Sar-

Sarmatiæq; altâ famulas cervice reposcens :
Supplex ante pedes , & tanti nescia fastûs
Ponit signa libens. - - .-
Quid orbi notissimam ad Mohiloviam rememorem expeditionem ?
Sublimiùs ibi sanguineo innatavit æqvori CZARNIECIA NAVIS :
ut, neq; altiùs Ister unquam exundare potuerit,
quàm, cùm tot ex 16000 recisis cervicibus oppletus assurgeret.
Ex Lechicis demùm fluminibus , in Oceanum suâ fertur NAVI ;
Atq; vltramarinas Holsatiæ dimetitur oras.
Campestris Poloniæ Heròés, ignoto innatabant mari ,
Planè jam orbis universus Sarmaticis erat pervius armis ,
cùm neq; hic obex Polonam remoraretur virtutem.
Ad repetitos gladiorum vibices rubuerunt sanguine fluctus Daniæ.
-- & nunquam fluitantia latè
Largiùs Arctoos pàvere cadavera pisces.
Riget iam Marte pagina , ferreus stylus graviùs teneram Tuam pungit manum
ILLVSTRISSIMA NEOSPONSA.
Inter blandas Cythereæ illecebras , flores Tuæ deberet inserere dextræ ,
interim spinas offert.
Sed cùm neq, Rosæ sine aculeis nascantur ;
& Tu Majorum Tuorũ æquâ mente Martiales complecteris rigores.
Hostili igitùr iam pota cruore penna, Senatorium bibit muricem :
enatat è sanguineo mari in honorum promontoria,
ad novennas Sendomiriensis Palatinatûs Cynosuras.
Cœlum ipsum torosus ferre credebatur Alcides, dum nativas stellas,
In primam dignitatem ,
primæ magnitudinis obtigerunt CZARNIECIO sydera ;
Pulchrâ sanè metamorphosi Mars Polonus in stellas transmutatus.
Triumphale ubi explicuit labarum tam conspicuis insignitum phænomenis ,
horrendas Lunæ Othomanicæ causabat eclypses.
Aptavit demùm CZARNIECIÆ NAVI velum Patria ,
è Kijoviensis Castellaniæ purpurâ :
ut, quæ ante in hostes currebat, sub istis volaret supparis.
Ostrum quippè magnarum mentium honor est ,
Obligatiorem Patriæ reddit acceptum beneficium.
Infractâ cervice sustentantur onera , fulta honoribus.
E Castellano Kiioviæ , Terrarum Russiæ Palatinus,
Sarmaticus Æneas , terris iactatus , & alto ,
per multa discrimina ad exoptatum adnavigavit Latium.

Summos cum attigisset honores, maiores mereri videbatur
annis & victorijs maturus,
sub canæ ætatis hyemem Martialibus ardebat ignibus.
Vitam hominis, iterùm militiam esse sufficienter ostendit;
vno fine vtramq; terminando.

NAVIGATIO V.

Illustr. BONAVENTURÆ, FRANCISCI, MARTINI, IOANNIS CZARNECCIORVM Nominibus gloriosa.

LÆtare Patria!
cum BONAVENTVRA omnia Tibi venêre bona.
Formidabile semper Poloniæ ab Aquilone timebatur malum,
abinde lenes felicitatis aspiravêre Ethesiæ.
Fabricandis contra Sarmatiam insudabant fulminibus
in Białocerkieviensi Martis officina operosi Cyclopes,
en demùm aureæ fortunæ Fabri sub BONAVENTVRA!
Illud ipsum Fanum, reseratum Iani templum dici potuit,
Architecto BONAVENTVRA in candidæ pacis,
vel è suo nomine, mutatum basilicam.
Explicuit FRANCISCVS antennas,
grandi Seraphicarum alarum pulsûs remigio,
stetit ad fortunatas insulas in Religionis portu,
Mundo se subtraxit, vixit DEO:
vel tunc maximè virtutum luce clarens, dum latens.
Pro focis decertantibus alijs, ille pro Aris stetit,
Largioris nõ indigus stipendij, cùm Deo exercituũ militavit.
Heroicum nomen bellicosis decoravit gestis MARTINVS,
proprij sanguinis non liberalis tantùm dispensator sed prodigus.
Nativa Hungariæ flumina suâ emensus NAVI;
palmaribus plenus redijt adoreis.
E præceptis Bellonæ didicit foris, qualis deberet esse Domi:
Ad ãpliores demùm laureas in patrio solo conquirendas,
Ducem habuit WISNIOWIECCIVM.
Lechiæ Bellator, Cosacorum, Tartatorum, Prussorum debellator;
devi-

devictis immortuus hostibus,
plumbeo per rebelles Cosacos ad Lubnie transfixus globo;
auream efflavit animam dignam Coelo.
Nunquam sanè & hic in caliginosæ oblivionis noctem perventurus,
dum illi lucem æternam purpurascens in corpus invexit aurora.
Decadem Fratrum complet IOANNES
ut Romanæ non sit opus invidere Reipublicæ Decemviros,
si nostra, hoc CZARNIECCIORVM constitit numero!
Etiam hic inter arma,
& Sarmaticas nives virtutis suæ capiebat documenta,
florentes vixdum iuventæ ingressus annos,
inter bella teneram exercuit ætatem.
Hæc galea, quæ primam in Iuvene atterebat lanuinem
canos quoq; in obsequio pressit Patriæ:
testans, totam CZARNIECIORVM vitam, impendi
Virtuti & Patriæ.

NAVIGATIO VI.

Illustr: STEPHANI, Notarij Campestris Regni, illustrata decoribus.

ENavigat tandèm è mortuo mari in Oceanum laudum Tuarum penna
ILLVSTRIS: DOMINE NOTARIE REGNI:
quò longiùs à littore recessit, ad Te propiùs accedit.
Veretur quidem, ne pro scopo, in scopulum impingat.
Tu enim ILLVSTRISSIME DOMINE
etiam cùm Orbem universum gloriosis imples gestis, latere vis:
popularis non captator auræ, ægrè aurem Tuis arrigens laudibus,
eo ipso grande ingenijs periculum facis,
eloquio.ne? an silentio Te colere debeant?
Vocales nihilominùs mereris Famæ tubas,
cum scriptoriam Regni tenes arundinem.
Polonamquoq; conscribis militiam, panegyricis inarandus es fastis:
eodem ordine, quo Tu delectos Heroas,
Merita Tua vectigalis vellet recensere penna;

gaudens tam illuſtri atteri uſu, quam Martiali acuis gladio.
Martis Amanvenſis unâ manu mucronem, alterâ ſtringendo calamū,
duplici ſtylo fodis hoſtem.
Infimus in ordine noſter Scholaſticus, hos proſequitur:
Altiùs attolli neſcius, niſi Tuos circa oberrare pedes edoctus.
Tenues in paginam proijcit umbras,
Vivis in Te expreſſa benêmerita coloribus, atrâ adumbrans ſepiâ.
Aureum ſcientiarum vellus ab exteris allaturus oris,
tener adhuc Iaſon Gentilitiâ navigabas A R G O.
Scitè Grammaticos Mæandros, Pegaſeam Hipocrenem,
eloqventiæ fontes ſuperans,
Ariſtotelicum capaci mente exhauſiſti Eurippum,
ut miraretur Te clementius Olomucenſe clima, ſub gelida enatum Arcto,
Phæbum ſpirare.
E Palladis, in Martis aciem commigrâſti.
grande rudimentum laudati Militis ætas prima TIBI dedit
cum Illuſtriſſimo Palatino Ruſſiæ Patruo Tuo,
Magno Æneæ ſuppar bellorum ſocius Aſcanius,
medijs in vallibus acri gaudebas equo.
Vltra Balticos ſinus, & Scythicos Boriſthenes,
patrios protendebas limites,
ferreas Boleſlai columnas ſedentariæ exiſtimans locatas indoli.
Sagacior Columbus, novum orbem in mari,
Sarmaticis peruium armis inueniſti.
Dux nondum egreſſus Ephebis, parem Te Herculeæ probaſti clavæ,
armatas prætexta fugans phalanges.
Gaudebant victrices lauri vernantia juventutis redimire tempora.
Quâ victorioſus ſub Tuo regimine progrediebatur exercitus,
triumphales aſſurgebant palmæ:
teneræq; manui inſerta clava in oleas effrondeſcebat.
Non una Tibi nectebatur Civica, non ob Cives ſolùm ſervatos,
ſed & Regiam Majeſtatem.
Cum Marte agreſti agebatur res in Vkraina Polonis,
proximus Vcalegontis ardebat paries
incendium illud integras abſumebat Regiones
Iam propè Regni Tecta vaſtaturum,

Ni

Ni Te Illuſtriſſime Domine obicem habuiſſet:
Qui foſſum alieno gladio ignem, mirâ ſopiviſti dexteritate.
Centum millia cum ſuo Duce Coſacorum in aciem egreſſa;
Mercurialis populus aperto Marte congredi nunquam auſus:
non tam ferro lucrari victoriam, quàm aſtu furari aſſuetus.
At centoculum vigilantiſſimè pro ea excubantem invenit Argum:
concinentibus ſibi Bellonæ claſſicis,
ſaltabant ad feralem gladiorum tactum inſolentes Capreoli,
donec proprio ingurgitati cruore in æternum reſolverentur ſomnũ.
Abhinc adeò gravis factus hoſtibus, gravioris armaturæ Anteſignanus,
ut Ætnam cervicibus ſuis incubantem ſenſerint ſanguine ſudantes Encæladi.
In quem campum Regias eduxiſti Aquilas,
opimam Regno ex hoſtibus providiſti prædam:
Sapidiùs tamen non obſonabant, quàm heroico corde Tuo ineſcatæ.
Delicatus nimiùm Achilles,
invio armis toto corpore, unicum pro ſalute Patriæ expoſuit talum,
egit ſolummodò pro incolumitate eiuſdem, pati detrectavit:
Tu Illuſtriſſime Domine totum Te periculis expoſuiſti.
Magneticum oſtendens debere eſſe Patriæ amorem,
quem ferrum probaret.
Ad perfectam veri militis Ideam,
non indigeat feneſtrato corpore Momus,
cùm per vulnera ejus candor conſpicitur.
Ferales alijs ſonos militaria intonare videntur claſſica;
Tibi lethalis ferreæ fiſtulæ cantus dulcis fuit.
Sapidè conſumptus bolus ille, majorem Tibi in hoſtes acuit appetitũ;
millenis vix ſatiandum corporibus.
Luctabatur Sarmaticus Mars,
quæ Tibi pro condigno offerret munia:
& cùm ſe ipſum minorem cerneret,
Mareſchalcali Tuo Scipioni ad Gołębiam ſubeſſe glorioſum habuit,
qui in pacatas effloreſcens oleas,
enubilato Martis furore
nuntiæ pacis Columbæ ceſſit in ſymbolum.
Aurea nonniſi falce reſcindendus erat
ille Gordius confæderatorum nodus:
Tu ſive fata eludens, ſive implens,

 ner-

nervosæ Eloqventiæ rupisti vi.
Tumidis spumabat fluctibus vicinus Vistula:
Sed Tuæ NAVI placidiores substravit vortices;
Fortunam Patriæ provehenti.
Iniecisti illi ceu Divinior Xerxes aureas Eloquentiæ compedes,
ibatq; refluis in hostem gurgitibus, in Patriam priùs intentus.
Succumberet pagina,
si longâ serie bellicas Virtutes Tuas recenseret
ILLVSTRISSIME DOMINE;
Faciliùs quippè Tibi erat hostes cædere,
quàm calamo cæsos adnotare.
Ludum Fortuna instituit ad Strigonium;
Martem Polonum post Viennensem exhilaratura labores;
Subtristi quidem exordio suam auspicata tragædiam,
cæsis in acie aliquòt Gregariorum cohortibus;
sed illicij locò proiecta tenuis illa offa fuit,
super qua hostis mactaretur.
Non pœnituit Martem damni, aliquòt excussisse manipulos,
si largiori censu laurearum in ea acie prodijt messis.
Adfuisti Tu funestæ scenæ non spectator sed Actor,
ILLVSTRISSIME DOMINE,
accedentibus Tuis Copijs truculentior in hoste grassabatur cædes:
Fluctuabat in Danubij profluvijs Othomanica Luna,
ut non aliàs copiosiùs dulces hausisse aquas visa fuerit.
Depontana Orbis Musurmanici Felicitas,
de ponte, in vastos deiecta gurgites, lethali interijt naufragio.
Vigil Tu interim pro incolumitate Regiæ Majestatis Antipater,
in omnem fortunæ resolutus sortem, aciem tenuisti,
etiam proprij corporis objectu Caput Patriæ tutaturus.
Trahit Te fidele Serenissimæ Majestati ubiq; obsequium,
cùm ad manum benemerendi occasionem non habes, quæris.
Pertæsus vitæ Tuæ videbaris
Marte coronato per Budziacenses campos,
victricia circumferente labara,
pervenisti per ea loca quæ nec ipse Theseus scito decurrisset astu;
virtuti viam inviam nullam esse demonstrando.
Vbi

Vbi tandem eò ventum eſt, quo Polona vix pennis pertigit fama;
ubi Sereniſſimus Rex triverbium illud complere non potuit
Veni, vidi, vici,
eò, quòd licèt in hoſtico hoſtem quæſiiſſet;
quem vinceret non habuit.
Acquievit conſilio Tno, Illuſtriſſime Domine;
Sufficere ad laudem hoſtiles impune tranſiiſſe regiones.
Principem à Regno abeſſe idem eſt ac ſolem à terra abſentari,
ad cuius intuitum ſpirant & ſperant univerſa.
Redit itaq; ſuaſu Tuo victorioſus Poloniæ Exercitus,
ſatis multùm de Chriſtianitate eo tempore meritus,
cum auxiliares tutandæ Budæ Turcarum Tartarorumq; copias
Heroicis remoraretur viribus.
Licèt quidem nullà ſuppetiarum ſpe affulgente,
Deſperatio acriorem præliantibus defendendi ſui faciat animum,
moribundorum tamen ſpiritus illi ſunt,
in momento extinguendi;
Si eos fanatica illa vis exerit violentius.
Fama longè etiam diſſiti exercitûs vires acqvirit eundo,
Prodromis ſtipata terroribus, in fulmen degenerat,
quod, quo remotiùs in nubibus remurmurat, magis terrefacit:
unum ferit, antequam explodatur, terrorem incutit univerſis.
Majores bellicæ machinæ à longinquo ſtant, muros tamen ſternunt,
aditumq; intraturis per rudera & viam aperiunt.
Ita ſanè non ſolo robore, ſed conſilio bella debere geri oſtendiſti
ILLVSTRISSIME DOMINE.
Coronato Alcidi Sereniſſimo IOANNI III individuus Theſeus,
& armis, & fido non defuiſti conſilio.
Exinde non ſolùm galea Tuum preſſit caput,
aut gladius manum,
etiam Mercurij Galerus & Caduceus.
quotieſcunq; aut pro exercitu, aut pro Patrijs libertatibus
inter Purpuratos Patriæ Cives diſertus loquereris Cyneas;
Lingua Tua erat calamus ſcribæ:
Togatorum Patrum mentibus altas blandi eloquij infigens notas,

ut vel ideò maximè Conſcripti dicerentur.
quod Tuis pleni characteribus.
Tribunalitiæ Regni Themidis Arbiter,
Mareſchalcali baculo, pro remo uſus,
Tuâ eam provehebas NAVI,
planis gurgitibus, per mæandratos cauſarum anfractus.
Tunc primò deliciari in terris Aſtræa viſa,
cùm eam per ſtrepitus forenſes & litigantium iurgia
tam commodo circumduceres navigio.
Non erat opus à Venetorum primoribus auream expoſcere Triremē,
è pretioſiore metallo fabrefactam Iuſtitiæ ſtatuam præferentem,
Tuam illi præſtò affuiſſe vidit orbis.
A Mareſchalcali Tridente, ceu ab Apollinis Tripode,
intenti omnium pendebant animi
Nullus enim triſtis à Tuo ivit conſpectu,
niſi, quod erat ſuum, habuiſſet.
Non popularis aura Lancem Tibi Iudiciariam ventilavit,
non grandior crudelitatis obliquavit gladius;
attolli aut deprimi nunquam ſcivit,
in recto altiſſimi Iudicij Tui conſiſtens æquilibrio.
Extra Pariſienſium Elogia
Tua quoq; Argo æmula ſolis dici potuit,
Digna nimirùm inter Aſtra referri,
aut Divorum in terris domicilia.
Et certè cùm in altiora Zamoſcenſis Baſilicæ elata eſt pegmata,
ad illas ſupra firmamentum proram obvertit aqvas,
faciliùs ſub extenſis Franciſci antennis velificatura,
ubi effuſo liberalitatis Tuæ influet Pactolo.
In Te demùm redundant encomia
Parens Illuſtriſſima.
Non unum hîc ingeniũ ultrò concedet palmas,
cui triumphata Orbis Lycæa lauream contulere.
Sarmatica Camilla non in ſylvarum latebris educata
ſed inter Religioſæ ſolitudinis clauſtra
duris

duris exercita velitationibus, à muliebribus abhorrebas illecebris
Nunc etiam Illuſtriſſimo SPONSO Tuo ſocia,
arcum & Pharetram verſas,
eiaculatorijs cœlum impetens inſultibus.

Caſtra Tibi Aſtra.

Patitur ſanè cœlum à Te violentiam
quoties globos precatorios,ceu ſcintillãtes Divino amore pyrobolos,
ad expugnandum pertinaciùs detorques.
provida futuri, ad ſanctiorem, hanc inſtaurandam Gygantomachiã,
quotidianum provides cõmeatum per manus Pauperũ præmittendũ.
Gentilitio Pede Tuo incedis per violas contemplationis:
Regia circumobambulas Roſaria,
ſpatiaris inter cruentatas ſanguine Chriſti vineas,
inter lilieta amæniſſimos omnis devotionis colligis flores,
in odorifera Deo Thymiamata.
Videmus & in vultu ſobolis Tuæ Te regnare Parentem:
quid enim è ſapiente ſimiliùs naſci debuit quàm ſapientia?
Quid è CATHARINA? niſi SOPHIA!
Ad Tuos demùm placuit retrogredi Anteceſſores
ILLVSTRISSIMA DOMINA.
Sed Phænix neceſsè ſit ingenium quod eos pro ſufficienti celebret.
Raritatem quippè ſapit è ſuo nomine inclyta Nowinarum Familia.
Roſas è preſſa calcaneo Perſei terra enaſci credidit antiquitas;
Gentilitius HVLEWICIORVM PES
ferream Martis dum decurrit ſemitam, aurea Patriæ producit ſæcula.
Oriebantur è Luceorienſi Hemiſphærio
Illuſtres in Heroibus his orbis Sarmatici Planetæ
pulchra in lucis pupilla honorum cunabula nacti,
ſoli Phœbo communia.
Equonè, an hoc Pede celeriùs gloriæ Olympia decurrerit GEORGIVS?
prorsùs dubium,
aeripes nihilominùs Achilles alatum etiam ſuperavit Bellerophontem;
ad Luceorienſem eluctatus Succamerariatum.
Non caruit tamen honor hic gradibus
quos ſibi in cervicibus hoſtium incidit:

ut firmo vestigio, non volubili penna eidem insisteret.
Irradiabat hoc iubar SIMEONI HVLEWICZ Notario Luceoriensi pennam
accedente armorum fulgore geminatum.
Probatus à conscientia Vir in luce conspicuus apparere voluit.
Recti sectator, tenebras fugiebat & nubila;
hostibus tamen noctem inducere in professo semper habuit.
Versabat Marte rigentes Caligulæ fastos,
quorum uni gladius, alteri Pugio nomen erat.
Quid potentem fama VLADISLAVM? quid hostium Arietem IOANNEM?
è bustuarijs effodiam cineribus?
Nolo, SIMONI, PAVLO, DAMIANO, dulci sopitis somno gravis esse,
Veneror sacros Parentis Tui manes
ILLVSTRISSIMA DOMINA.
Scintillant Martiales eorum spiritus & in sepulchrali pulvere,
graves illis non sunt lapides, nisi hostium spolia.
Tam ad arenam, quàm ad Aram festinus PES vester
præcipuè calcar illi addente Dominici Stellà.
Non satis potest mirari tripudians Ecclesia,
quàm speciosi PEDES Vestri Evangelisantium bona
Sacri Ordinis Prædicatorum decora HIPPOLYTE & THOMA;
primus quidem jam inter sydera relatus
Stellatam Coelestis Ariadnæ coronam,
è submisso genu veneratur,
vivit ille tamen in posthuma Dominicanæ Familiæ memoria;
quia hæc ejus liberali vivit provisione.
Firmiorem Votorum Religiosorum Ternionem effecit,
sustentando, Luceoriensi Conventui nervum augens
ex accessorijs Patrimonij sui ternis possessionibus.
Plus non potuit Deo offerre, quàm cùm se & sua dedit.
Nestoris vivat annos probatus, à Candore mentis THOMAS,
Frater Tuus ILLVSTRISSIMA DOMINA,
variegatas vanitatis mundanæ plumas
Phænicis more cœlestis flaminis absumpsit incendio;
ex funere mundi superstes,
non dedignatus, abjectus audire vermiculus,
quem titulum & DEVS habuit honorarium.

Abys-

Abyssalem virtutum ejus magnitudinem
tutiùs silentio Religiosa venerabitur svada,
utpotè in ipso profundæ humilitatis mersam æquore,
& Doctoralibus ornatum laureis,
frustra Palladiæ adcomere nituntur oleæ.
Et hæ sunt Gentilitiæ NAVIS Tuæ viæ
ILLVSTRISSIMA DOMINA NEOSPONSA;
sed dum Oceanum decurrere debuit penna,
nè torrentem quidem superavit,
Sæculorum quippè labor est non desultorij momenti,
totâ æternitate vix collecta gesta,
brevi temporis explanare intercapedine.
Licèt tam tempori quàm Pegaso suæ sint alæ,
illud tamen tolutim incedit, hic successor est.
Satis nihilominùs putat, si in Te Antecessorum Tuorum
gesta veneratur, ILLVSTRIS: DOMINA NEOSPONSA.
Si enim Æneæ Naves in Deas commigrârunt,
quidni & Tua ARCO tot Illustribus onusta Heroibus,
pulchra metamorphosi in Te Diviniorem transformetur Nympham.
Sarmatica Thetis non Oceani sed Illustrissimi Sanguinis Filia
Dis genita, & genitura Deos.
Præsagâ spe plena Patria, alios ex Te expectat Achilles
ad labefactandam hostilem Trojam nascituros.
Prodis è Sacro Baptismatis fonte
Serenissimi MICHAELIS manu levata
eun dem Spiritualem Patrem quem Illustrissimus NEOSPONSVS nacta.
Crevit igitur crescentibus Vobis coævus amor,
ut, si Regias Majestates Serenissimos vocamus Planetas,
etiam in uniendos affectus efficaci influere agnoscimus qualitate.
Ex hoc Te Lechicam Iunonem æquiùs dici expedit,
quæ Iovi Sarmatico Illustrissimo NEOSPONSO
(citra tamen impedimentum)
& Soror & Conjunx destinaris.
Lunam Ægyptij fictitio commento navigio ferri existimabant
Te ævi nostri Dianam rectiùs putamus gentilitia provehi ARGO

ut orbem Polonum luminis impleas claritatē.
Dum igitur ad Illuſtriſſimam conſiſtenti POTOCIANAM Pharum
Feſtiva Tibi Najadum cohors ciet modulamina,
Et pauperes Scholæ Piæ votivum accinunt celeuſma.

Creſcite felices thalami, veſtriq; fovete
Spem generis, trabeasq; inter faſcesq; Nepotum
Patritius ſuccreſcat honos -- -- -- --

Applaudit & Chełmenſe Collegium
Suum apud Te quærens patrocinium,
ILLVSTRISSIMA NEOSPONSA.

Sit Tibi Typhis amor, ſeri cynoſura Nepotes
Flabra joci, antennæ Charites, prudentia clavus.